



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**


**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Scalenus. Dæmonum natura.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Sex dæmo-  
num gene-  
ra.

Scalenus autem dæmonum, & malarum potestatum figura dicitur, usque adeo inæqualis est, & à bono æquo remotus. Componitur autem ex senario numero, sed imperfecto, qui corporeis, & mundi hujus inferioris rebus obnoxius est, quod in eo circumscriptiones corporeæ sitæ sunt, per eumque mundus hic inferior compositus esse imperito eo seculo putabatur. Ideoque ajunt sex genera dæmonum infra lunarum globum inveniri, quorum primum per sublimiorem aëra vagari tradunt, *LELIURON* appellatum, quasi velint igneum significare. Secundum aëreum, quod in crassiori nebulosaque regione sedem habeat. Tertium terrenum. Quartum aquatile vel marinum, à locis & regionibus in quibus oberrant, quarum curam gerunt. Quintum vero subterraneum, quod vel noctu, vel in puteis, & antris, & hujusmodi locis frequenter apparet, ne antrum Nursiæ fabulosum esse credamus, aut quem Divi Patricii puteum in Hybernia memorant. Nam & cumis & aliis plerisque locis responsa in antris dari solita, totius aëritatis testimonio persuasum est. Sextum & ultimum est lucifugum, imperscrutabile ac tenebrososum penitus, algorique perpetuo damnatum. Id vero dæmonum genus modis omnibus mortales infestare creditur, Stygiosq; latices haustos spargere, unde calamitates, pestes & fames consequantur. Adduntque hujusmodi rerum periti nomina, *Actæum*, *Megalesium*, *Ormenon*, *Lycum*, *Niconam*, *Mimona*, *Alastoras* alios, alios *Palamnæos* appellatos, à quibus omnia in homines incommoda congerantur. Sed hæc fortè plus nimio homini sublimium rerum cupidissimo, cum præterita futura sint omnia quæ de dæmonibus loco hoc afferre voluerimus. Multiplices tamen eorum figuras & apparitiones, variis rerum & animalium imaginibus conspicuas, toto opere, ubi hieroglyphicum tale aliquid deponat minime dissimulavimus.



## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XL.

DE IIS QUÆ PER VESTES ALIQUOT  
SIGNIFICANTUR,

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD JANUM VITALEM PA-  
NORMITANUM.

**N**on parva quidem de causa, Jane mi jucundissime, Leo X. Pont. Max. quam primum tuam de Trinitate poemata legit, ingenio & eruditione tua delectatus, pietateque in primis commotus, præclaram tibi munera dari jussit, in quibus fuit & Palatina vestis ornata, ut inter amicos abmissum esse te, virtutis & optimarum artium ergo, omnibus innotesceret, tuque ad disceptandarum studia in dies magis incitaretur. Quæ mihi tam jucunda acciderant, ac si omnia & in longè majora in me collata essent, qui tot annos amorem erga me tuum habuerim exploratissimum, quæque ego semper ob summum ingenium, suavissimos mores, singularem animi tui integritatem, præteritis loco dilexerim. Itaque cum ex remuneratione hujusmodi, quæ tibi obvigisset, magnam ego lætitiâ concepissem, incensus ego quoque sum tanti Principis æmulatione, ut ipse quoque gratio et gaudio